

25. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. 26. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. 27. Et veniunt rursus Hierosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes et Scribæ, et seniores, 28. et dicunt ei: In qua potestate hæc facis? et quis dedit tibi hanc potestatem, ut ista facias? 29. Jesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi, et dicam vobis in qua potestate hæc faciam. 30. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. 31. At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus: De cœlo, dicit: Quare ergo non credidistis ei? 32. Si dixerimus: Ex hominibus, timeamus populum; omnes enim habebant Joannem quia vere propheta esset. 33. Et respondentes dicunt Jesu: Nescimus. Et respondens Jesus, ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

10. BENEDICTUM QUOD VENIT REGNUM PATRIS NOSTRI DAVID. — *g. d. Ex Dei benedictione et beneficentia « benedictum, » id est felix, faustum, florens, firmum, auctum bonisque omnibus cumulatum sit « regnum patris nostri David, » id est regnum Israel, quod sub Davide et Salomone ejus filio fuit amplissimum, florentissimum et felicissimum, « quod » in captivitate Babylonica et deinceps collapsum, jam « venit, » id est: redit, et restauratur a nostro hoc Messia, Davidis filio, qui illud pristino flori, decori et robori restituet, imo longe florentius, pulchrius et robustius effluet.*

16. ET NON SINEBAT UT QUISQUAM TRANSFERRET VAS PER TEMPLUM. — « Vas, » scilicet utensile instrumentum, vel suppellectilem ad usus profanos, v. g. sportam, cacabum, lagenam, sarcinam, etc. « Transferret per templum, » id est per exitum templi atrium, quod erat Gentium, in quod sei-

licet Gentiles degere et orare poterant, et solebant. Nam illis quibus ex foro pecuario dicto « Bethesda, » corrupte « Bethesda, » transseundum erat in superiorem urbem, vel in regiam Salomonis, compendiosissima erat via per hoc atrium et porticum Salomonis: atloqui enim totum hoc atrium exterius circuire debebant. Quare mirum non est si ancille, servi, pueri re aliqua onusti, compendiarium hanc viam per atrium ingressi, longiorem extra atrium fugerent. Christus vero eos inhibuit, et voce jubendo, ac manu eos sistendo et redire cogendo. Quid ergo de Sancto ipse, quid de templo nostro fecisset? Vide Vitalpandum, tom. II in *Ezech.*, lib. III, cap. IX.

22. HABETE FIDEM DEI. — Id est fidem in Deum plenam, perfectam, ardentem et efficacem, similem grano sinapis. Vide dicta *Matthæi* cap. XXI, vers. 21.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus objicit Scribæ parabolam vintorum, filium sui heri, qui erat dominus vineæ, occidentium, vineamque sibi arrogantium. Secundo, vers. 13, Herodianis quærentibus, an liceat Judeis tributum dare Casari? respondet: Reddite quæ sunt Casaris, Casari; et quæ sunt Dei, Deo. Tertio, vers. 18, Sadducæis probat resurrectionem. Quarto, vers. 28, docet maximum mandatum esse de diligendo Deo ex toto corde. Quinto, vers. 35, rogat quomodo David Christum filium suum vocet Dominum? Sexto, vers. 38, monet ut vitent factum et avaritiam Scribarum. Denique, vers. 41, docet viduam dantem templo duo minuta, plus cæteris dedisse.

1. Et cepit illis in parabolis loqui: Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et ædificavit turrinam, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. 2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ. 3. Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum. 4. Et iterum misit ad illos alium servum; et illum in capite vulneraverunt, et contumelias affecerunt. 5. Et rursus alium misit, et illum occiderunt; et plures alios: quosdam cadentes, alios vero occidentes.

6. Adhuc ergo unum habens filium charissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum. 7. Coloni autem dixerunt ad invicem: Illic est hæres: venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas. 8. Et apprehendentes eum, occiderunt, et ejecerunt extra vineam. 9. Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis. 10. Nec scripturam hanc legistis: Lapidem quem reproba-verunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: 11. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? 12. Et quærebant eum tenere, et timerunt turbam, cognoverant enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt. 13. Et mittunt ad eum quosdam ex Phariseis et Herodianis, ut eum caperent in verbo. 14. Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, et non entas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces: licet dari tributum Casari, an non dabimus? 15. Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? offerte mihi denarium, ut videam. 16. At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago hæc, et inscriptio? Dicunt ei: Casaris. 17. Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Casaris, Casari; et quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo. 18. Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse; et interrogabant eum dicentes: 19. Magister, Moyses nobis scripsit, ut, si cujus frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo. 20. Septem ergo fratres erant; et primus accepit uxorem, et mortuus est non relicto semine. 21. Et secundus accepit eam, et mortuus est, et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter; 22. et acceperunt eam similiter septem, et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier. 23. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem. 24. Et respondens Jesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei? 25. Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sicut sicut angeli in cœlis. 26. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquit: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? 27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis. 28. Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum. 29. Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est: 30. et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. 31. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est. 32. Et ait illi Scriba: Bene, Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum. 33. Et ut d'ligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine; et diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocaustibus et sacrificiis. 34. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare. 35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David? 36. Ipse enim David dicit in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 37. Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit. 38. Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare et salutare in foro, 39. et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis; 40. qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius judicium. 41. Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, et multi divites jactabant multa.

42. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans, 43. et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua haec pauper pulcherrima omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. 44. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: haec vero de penuria sua omnia quae habuit, misit totum victum suum.

4. VINEAM PASTINAVIT. — Graeco, ἐπέσπειρεν, id est plantavit, ut veritatis interpres Matth. xxi, 33. « Pastinare » proprie tribuitur vitibus, idemque est quod agrum vineae fodere, ut vites inserantur. Unde « repastinare » vitis, idem est quod illas cum sterilescent, refodere. Modum pastinandi tradit Columella, lib. III, cap. XIII.

ET FODIT LACUM, — lacunam, in quam muscum ut visis in torculari expressum defluit. Unde Graeco est ἐκχέουσα, id est subtorcularis; τρυβλιόν enim est torcular. Hinc Arabicus veritatis, et fodit in ea torcular; et sic habet Matthaeus, xxi, 33, ubi per « torcular » non solum prelum, quo uvae premuntur ut liquor exprimat, sed etiam ipsum vas, sive lacuna prelo subjecta, qua liquor pressus excipitur, significatur: haec enim proprie fodi, vel, ut habet Isaias, v, 4, excindi dicitur.

14. LICET DARI TRIBUTUM CÆSARI, AN NON DABIMUS? — Hoc est, an suades nobis ut non demus? Rogant hoc modo, ut eum gravius accusent, quod non tantum negati Cæsari vectigalis fuerat censor sive permissor, sed et suavor. Graeco et Syrus habent, licet census Cæsari dare, an non demus, an non demus? id est dare debemus an non dare? Arabicus: doce nos an liceat nobis tributum dare Cæsari, an non debemus?

33. ET DILIGERE PROXIMUM TANQUAM SEMETIPSUM, MAJUS EST OMNIBUS HOLOCAUSTIBUS, — id est holocaustis, in quibus tota victima Deo cremabatur, et per ignem sacrificabatur. Hoc est quod ait Deus: « Misericordiam volo, et non sacrificium; et scientiam Dei, plusquam holocausta. » Osee vi, 6. Vide ibi dicta. Tacite hic adolescens assentientis sententiae Christi taxat Scribas, qui sacrificia in suum lucrum cedentia praeferebant misericordiae et dilectioni proximorum, ideoque filiis jubebant ut parentibus egentibus dicerent « corban, » id est oblatio, q. d. Rem tibi dandam, o pater, vovi et obtuli Deo, quare illi danda est, non tibi, Matth. xv, 6.

34. NON ES LONGE A REGNO DEI. — Non longe a via salutis; per dilectionem enim Dei et proximi itur in caelum. Rursus non longe es ab Ecclesia mea, nec quam hic militantem itur ad triumphantem in caelis. Sed adhuc tibi deest fides, ut credas in me quasi Messiam mundi salvatorem, moxque praecipis obedias, ut scilicet fias Christianus; ac si vis esse perfectus, relictis omnibus sequaris me, ut fecerunt Apostoli. Dicens ergo: « Non es longe, distantem adhuc ostendit, » ut ad anteriore contenderet, « et que adhuc ipsi decantant studioso inquireret, » inquit Victor Antiochenus.

33. IN STOLIS AMBULARE. — Stola erat vestis ele-

gans, polita et ad talos demissa: unde Scribae illa ad pompam utebantur. « Nolite, ait Victor Antiochenus, eos æmulari, neque oculis in externam illorum speciem conjectis, sed in fortunatosque illos predicetis. Sunt haec omnia idonea superbae ejusdem ostentationis instrumenta, humaneque laudis aucupia, quo inutilis honoris premium apud homines ferant. »

40. QUI DEVORANT (Graeco, ἡ καταβροχθίζοντες, id est qui plane et omnino absument et abliguriant) DOMOS VIDUARUM, — tum per lauta convivium quae ab illis postulant, tum potius per dona et opes quas ab eis per avaritiam extorquent, prolextu orationis pro ipsis faciende. « Cum Haque, ait Beda, perfecta manus pauperi, precave jure solet: hi ut nummum tollant pauperi, in jure pernoctant. »

HI ACCIPIENT PROLIXIUS JUDICIUM. — q. d. Scribis haec incumbet severior Dei in die iudicii sententia, et gravior condemnatio, tum quia simulatione prohibitas ad improbatum tendunt, ac Dei vestibus amici diabolo militant: « Simulata enim sanctitas duplex est iniquitas, » ait S. Chrysostomus, homil. 74 in Mattheum; tum quia Scribae avaritiam suam pro pie' le venditabant, eamque religionis colore depinxerant, ait Auctor Imperfecti in cap. XIII Matth., vers. 6.

41. QUOMODO TURBA JACTARET AER, — id est pecuniam quamlibet sive aeream, sive auream, sive argenteam; quia enim prima pecunia fuit aerea, hinc omnis illa deinceps vocata est aer, etiamsi sit ex auro vel argento.

IN GAZOPHYLACIUM. — Erat area in quam donaria a populo coniciebantur, et custodiebantur ad usum templi, et ad alendos sacerdotes et pauperes: gaza enim persice significat divitias; quidam significat custodire. Hinc etiam porticus, in qua illa servabantur, eodem nomine vocatur. Unde Joan. viii, 20: « Haec verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo. » Ita Beda.

42. VIDUA UNA PAUPER MISIT DUO MINUTA, QUOD EST QUADRANS. — Non quasi unum minutum sit quadrans, ut vult Euthymius, nixus Matth. v, 26; sed quod duo minuta essent unus quadrans, ut clare hic dicitur. Quadrans erat quarta pars parvi assis, id est baiocci, decem enim asses parvi, pula decem baiocci, faciebant denarium, id est regalem Hispanicum, sive julium Italicum: quadrans ergo erat unus quatuordecim $\frac{1}{14}$, nam 5 quatrini faciunt baiocum, ac consequenter minutum erat dimidius quatuordecim $\frac{1}{8}$ quatrini. Belgice quadrans erat quod vulgus ibidem vocat een negemanneken, cujus proinde dimidium erat unum minutum, vulgo een myte cum $\frac{1}{2}$; quod

minimum et vltimum est oboli pretium. Vide dicta Matth. v, 26.

Minus recte Beda per quadrantem accipit quartam partem scili, id est unum julium vel regalem; scilus enim appendebat quatuor julios.

43. VIDUA ILLIC PAUPER PLUS OMNIBUS MISIT. — Licet enim per se et caeteris paribus, elemosyna vel oblatio major et melior sit illa, quae plus dat et offert; tamen per accidens, si caetera non sint paria, major elemosyna et oblatio est, quae majori affectu charitatis et religionis, sive pietatis, datur vel offertur, Deus enim non tam pensat donum, quam donantis affectum. Rursus major est ea, non quae in se majoris est valoris et pretii, sed quae major et difficilius est respectu dantis: vidua ergo haec dans quadrantem, plus omnibus dedit, quia totum quod habebat dedit, licet sibi ad vitam necessarium; plus datura si plus habuisset, confisa in Domino, quod ipse vicissim in se liberalem esset liberalior, ac necessitati suae deinceps provideret juxta illud: « Da Deo ovum, ut recipias ovem; » caeteri vero dabant superflua, quibus abundabant, ut ait hic Christus; nam, ut ait Titus Bostrensis in Lucae xvi, vers. 3: « Ea magnanimitate et devotione duos obolos, hoc est, omnia quae habebat, obtulit, ac si vitam pro-

pretium pro nihilo duceret. » Causam a priori dat Paulus, II Cor. viii, 12, dicens: « Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. » Et Victor Antiochenus hic: « Neque enim Deus, ait, tam numerum magnitudinem considerat, quam animi alicuiusmodi et magnitudinem ponderat. » Et Beda: « Non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat; nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proficitur. »

Nam, ut inquit D. Thomas, II II part., Quest. XXXII, art. 4, ad 3, quia vidua plus dedit secundum suam proportionem, idem pensatur in ipsa major charitatis affectum. Indeque censit Ambrosius, lib. II Offic., cap. xxx, dicens: « Duo ara viduae illius divitum numeribus pretulit, quia totum illa quod habebat, contulit; illi autem ex abundantia partem exiguum contulerunt. » Unde inferi: « Affectus igitur divitem collationem, aut pauperem facit, et pretium rebus imponit. » Idem sensit, lib. De Viduis, ante medium, dicens: « Uberior est nummose parvo, quam thesaurus maximo, quia non quantum datur, sed quantum residet expenditur. » Unde inferius colligit: « Non ergo quod fastidio expuas, sed quantum devotione conferas, estimandam est. »

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus dat signa provia exordio urbis (Hierosolymae) et orbis: urbis, abominationem desolationis, vers. 14; orbis, praedicationem Evangelii per totum orbem, vers. 10; ac solis et lunae obscuracionem, ac casum stellarum de caelo, vers. 24. Denique, vers. 32, docet diem hunc esse omnibus incognitum, ideoque singulos vigilare, et ad illum assidue se comparare debere.

1. Et cum egrediretur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, et quales structurae. 2. Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas aedificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruat. 3. Et cum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas. 4. Dic nobis quando ista fient? et quod signum erit quando haec omnia incipient consummari? 5. Et respondens Jesus, cepit dicere illis: Videte ne quis vos seducat: 6. multi enim venient in nomine meo, dicep' me, quia ego sum, et multos seducent. 7. Cum audieritis autem bella, et opiniones hereticorum, ne timueritis: oportet enim haec fieri, sed nondum finis. 8. Exurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum; et erunt terrae motus per loca, et fames. Initium dolorum haec. 9. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vulpabuntis, et ante praesides et reges stabitis propter me in testimonium illis. 10. Et in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium. 11. Et cum duxerint vos tradentes, nolite praecogitare quid loquamini; sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. 12. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. 13. Et eritis odio omnibus propter

nomen meum. Qui autem sustinerit in finem, hic salvus erit. 14. Cum autem videritis abominationem desolationis, stantem ubi non debet: qui legit, intelligat: tunc qui in Iudaea sunt, fugiant in montes; 15. et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua; 16. et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum. 17. Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. 18. Orate vero ut hieme non fiant. 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturae, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient. 20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro; sed propter electos, quos elegit, breviavit dies. 21. Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. 22. Exurgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. 23. Vos ergo videte: ecce praedixi vobis omnia. 24. Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum; 25. et stellae caeli erunt decedentes, et virtutes, quae in caelis sunt, movebuntur. 26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, et gloria. 27. Et tunc mittet angelos suos, et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terrae, usque ad summum caeli. 28. A ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit aestas: 29. sic et vos cum videritis haec fieri, scitote quod in proximo sit in aestis. 30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio haec, donec omnia ista fiant. 31. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. 32. De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater. 33. Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quando tempus ait. 34. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem ejusque operis, et janitori praecipit ut vigilet. 35. Vigilare ergo (nescitis enim quando Dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane). 36. Ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. 37. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilare.

Vers. 1. 4. QUALES STRUCTURE. — Quam magnifica fuerit templi et columnarum ejus structura, vide apud Josephum, lib. XV *Antiq.*, cap. XIV, et Bedam, Riberam ac Valpalandum, *De Templo*.

6. DICENTES, QUIA (quod) ego sum, — scilicet Messias sive Christus, ut habet *Matthaeus*, XXIV, 5.

11. NOLITE PRÆCOGITARE QUID LOQUAMINI. — Græce, μή σπουδαζήσθε, id est ne praeanxiemini, ne ante solliciti et anxii sitis, ne anxie praecogitetis. Græca et Syrus addunt: *Neque meditemini*, qua arte, modo, concinnitate, ratione loquamini et

respondeatis praesidibus et tyrannis; « sed quod datum (suggestum a Spiritu Sancto) vobis fuerit in illa hora, id loquamini; » Arabicus: *quoniam vos donabimini in illa hora eo quod loquamini*; Spiritus Sanctus enim vobis suggeret et animos, et libertatem, et rationes, et modos dicendi, quibus nemo resistere aut contradicere valeat.

32. DE DIE AUTEM ILLO VEL HORA NEMO SCIT, NEQUE ANGELI IN COELO, NEQUE FILIUS, NISI PATER. — Quomodo hoc intelligendum sit, explicui *Matth.* XXIV, 36.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Magdalena unguentum pretiosum effudit in caput Christi, unde murmurans Judas, de Christo vendendo cum Judæis et Pontificibus pactoscitur. Secundo, vers. 12, Christus celebrat convivium agni paschalis, in eoque Eucharistiam instituit, ac Apostolos eadem nocte scandalizandos et fugituros, Petrum vero ter se negaturum praedicit. Tertio, vers. 32, in horto ter orat, capitur, fugientibus Apostolis solus ligatur, et ducitur ad Caipham, ibique falso accusatur, veus mortis judicatur, conspuitur, colaphizatur, et a Petro ter negatur.

1. Erat autem Pascha et Azyma post biduum; et quaerebant summi sacerdotes et Scribae, quomodo eum dolo tenerent, et occiderent. 2. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 3. Et cum esset Bethaniae in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus. 4. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? 5. Poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam. 6. Jesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. 7. Semper enim pauperes habetis vobiscum; et cum vuleritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. 8. Quod habuit haec, fecit; prevenit ungere corpus meum in sepulturam. 9. Amen dico vobis: Ubicumque fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit haec, narrabitur in memoriam ejus. 10. Et Judas Iscariotes, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. 11. Qui audientes gavisus sunt, et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quaerebat quomodo illum opportune traderet. 12. Et primo die Azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi ut manducet pascha? 13. et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis: Ite in civitatem; et occurret vobis homo lagenam aquae bajulans, sequimini eum; 14. et quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem? 15. Et ipse vobis demonstrabit coenaculum grande, stratum; et illic parate nobis. 16. Et abiierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem; et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt pascha. 17. Vespere autem facto, venit eum duodecim. 18. Et discumbentibus eis, et manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. 19. At illi ceperunt contristari, et dicere ei singularim: Numquid ego? 20. Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. 21. Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo; vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si non esset natus homo ille. 22. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem; et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum. 23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. 24. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. 25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. 26. Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum. 27. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me dicto exierunt in montem Olivarum. 27. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me dicto exierunt in montem Olivarum. 28. Sed post in nocte ista, quia scriptum est: Percuti in pastorem, et dispergentur oves. 28. Sed postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaam. 29. Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. 30. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie

in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. 31. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant. 32. Et veniunt in pradium, cui nomen Gethisemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic donec orem. 33. Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum; et coepit paveret et tradere. 34. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate. 35. Et cum processisset paululum, procidit super terram; et orabat, ut, si fieri posset, transiret ab eo hora; 36. et dixit: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu. 37. Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare? 38. Vigilale, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. 39. Et iterum abiens oravit, eundem sermonem dicens. 40. Et reversus, denuo invenit eos dormientes (erant enim oculi eorum gravati), et ignorabant quid responderent ei. 41. Et venit tertio, et ait illis: Dormite jam, et requiescite. Sufficit, venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 42. Surgite, eamus; ecce qui me tradet prope est. 43. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim, et cum eo turba multa, cum gladiis et lignis, a summis sacerdotibus, et Scribis, et senioribus. 44. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute. 45. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave, Rabbi; et osculatus est eum. 46. At illi manus iniecerunt in eum, et tenuerunt eum. 47. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, et amputavit illi auriculam. 48. Et respondens Jesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me? 49. Quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturae. 50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. 51. Adulescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super utroque, et tenuerunt eum. 52. At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis. 53. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem; et convenerunt omnes sacerdotes, et Scribae, et seniores. 54. Petrus autem a longe secutus est eum, usque intro in atrium summi sacerdotis; et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se. 55. Summi vero sacerdotes, et omne concilium, querebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. 56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum, et conveniens testimonia non erant. 57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: 58. Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum aedificabo. 59. Et non erat conveniens testimonium illorum. 60. Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea quae tibi obijciuntur ab his? 61. Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursus summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? 62. Jesus autem dixit illi: Ego sum; et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus caeli. 63. Summus autem sacerdos, scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? 64. Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. 65. Et coeperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cadere, et dicere ei: Prophetiza; et ministri alapis eum caedebant. 66. Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis; 67. et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras. 68. At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. 69. Rursum autem cum vidisset illum ancilla, coepit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. 70. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro:

Vere ex illis es: nam et Galilaeus es. 71. Ille autem coepit anathematizare, et jurare: Quis nescio hominem istum, quem dicitis. 72. Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et coepit flere.

3. MULIER HABENS ALABASTRUM UNGUENTI NARDI SPICATI — « Nardus, » ait Plinius, lib. XII, cap. XII, frutex est gravi et crassa radice, sed brevi et nigra fragillique, quamvis pingui, situm redolente ut cyperi, aspero sapore, folio parvo densoque: cacumina in aristas se spargunt, ideo gemina dote nardi spicas ac folia celebrant. Unde ex nardi foliis fit unguentum, quod foetatum dicitur, et ex spicis quod spicatum nuncupatur; sed spicatum foliato est prestantius, quia plus habet substantiae et medullae, quod Galenus et ex eo pharmacopei nardi spicam nuncupant. Hinc Beda: « Nardus, ait, et frutex aromaticus, redolet ut cupressus, » etc.

Pro spicati Syrus habet, *capitalis*, id est primarii, prestantis, principalis: spicatum enim praestat foliato, ut dixi. Graece est *πικωτι*, quod Interpretes Joann. cap. XII, vers. 3, vertit, *picisti*; *picisti* ergo idem est quod *spicati*, ut ibi ostendit. Unde Arabicus ibidem vertit, *optini*.

3. TRECENTIS DENARIIS. — Denarius est julius Romanus, vel regalis Hispanicus. Trecenti ergo denarii faciunt 30 aureos Romanos, qui 75 florensi Belgicus aequivalent. Unde miser et impius Judas Christum vendidit 30 argenteis, ut pro 30 aureis, quos in hoc unguento effuso in Christum perdidit, 30 argenteos, id est septem cum dimidio florenos Brabanticos sive Belgicos, Christum vendendo reciperet. Liberalior ergo fuit Magdalena in Christo unguendo, quam Judas in prodendo. Vide hic quam vilis et sordida sit avaritia. Quocirca Victor Antiochenus: « Cum discipuli, inquit, unguentum illud plus trecentis denariis vendi potuisse asserunt, quantum mulier ista in unguentum illud insumperat, quantumque ex consequenti animi alacritatem et pietatem erga Christum declaravit, nobis divinandum reliquit. »

8. IN SEPULTURAM. — Syrus, *tanquam in sepulturam*; Arabicus, *ad sepeliendum me*.

11. GAVISI SUNT. — « Non solum quia ipsum sine tumultu comprehensuri erant opportune a Juda traditum, sed etiam quia a suis discipulis odio haberi inciperet, » ait Euthymius.

13. OCCURRA VOBIS. — « Majestatem divinitatis adverte, » ait S. Ambrosius in cap. XXII Lucae, vers. 8, cum discipulis loquitur, et jam novit, quid alibi sit futurum. »

14. UBI EST REFECTIO MEA? — Id est locus refectionis meae, sive refectorium meum in quo cum discipulis reficiat, et agno pascat. Graece *ἀρτοποιία*, id est *diversorium*; Syrus, *domus habitationis*; Arabicus, *locus in quo manducet pascha*.

15. STRATUM, — instructum mensis, lectulis.

sive foris et tapetibus, frondibus insuper et floribus decoratum, omnique suppellectili et ornate ad celebrandum pascha paratum, ut nil desit nisi agni assatio, illatio et comestio. Graeca, Syrus et Arabicus addunt *τρομα*, id est *paratum*. Deus enim hanc mentem sternendi cenaculum hero domus indiderat in gratiam Christi, ut ipse locum ad pascha celebrandum plane adornatum inveniret, ne moras pateretur instante vespera, qua assandus et comedendus erat agnus caeteraque a Christo peragenda.

18. UNUS EX VOBIS TRADET ME. — Syrus, *unus ex vobis comedens mecum, ipse prodet me*.

GRATIAS AGENS. — Syrus, *gratias egit et benedixit*.

23. ET BIBERUNT EX ILLO OMNES, — scilicet, postquam Christus calicem consecravit, dicens: « Hic est sanguis meus, » ut sequitur. Est ergo hic prolepsis sive anticipatio qua utitur Marcus, ut ostendat discipulos implese praecceptum Christi, quo jussisset, dicens: « Bibite ex eo omnes, » ut habet Matthaeus, cap. XXVI, 28.

33. COEPIIT PAVERE ET TREDERE. — Graece *ἐδραμίσθη καὶ ἀδραμίσθη*, id est *expavescere et angere*; Arabicus, *contristari et pavere*.

36. ABBA PATER. — Graece *ἀββὴ ἰ πατρί*, ubi *πατρί* est nominativus, ut Marcus interpretatur nomen *Abba* Syriacum per Graecum *πατρί*, *q. d.* *Abba*, quod Graece dicitur *πατρί*; aut potius nominativus ἰ *πατρί* accipitur pro vocativo ἄ *πατρί*. Blandientis enim affectu, ex intimo cordis sensu Christus geminavit vocem « Abba, » id est pater. Unde Syrus habet *abba, abbi*, id est *pater, pater mi*; Arabicus, *o pater*. Imo S. Augustinus, lib. III *De Consensu Evangel.*, cap. IV, censet Christum hic Syriace simul et Graece locutum, ac praecise dixisse *ἀββὴ ἰ πατρί*, ut habet Marcus. Sic enim Apostolus ait: « In quo clamamus, *Abba Pater*, » Rom. VIII, 15; *Galat.* IV, 6. « Credendum est, ait S. Augustinus, Dominum dixisse *Abba Pater*, ad intimum sacramentum Ecclesiae suae, ex Judaeis et Gentilibus congregandae. » Et Scholiastes apud S. Hieronymum: « Hebraice, inquit, et Graece loquitur, quia non est distinctio Judaei et Graeci. »

38. SPIRITUS QUIDEM PROMPTUS EST. — Syrus, *voluntarius et promptus*.

41. VENIT HORA. — Syrus, *adventi finis* (vile meae) *venitque hora*; Arabicus, *praesens est finis, et venit hora*.

44. CAUTE. — Graece, *ἀπολαύ*, id est *secure, tute, certo*; Arabicus, *time de illo*, ne scilicet e manibus vestris elabatur, ut alias elapsus est.

47. UNUS AUTEM, — scilicet Petrus. « Tacet nomen Petri Marcus, ait Theophylactus, ne vi-

deatur laudare præceptorem suum, Petrum, majoris pro Christo zeli. »

31. ADOLESCENS AUTEM QUIDAM SEQUEBATUR EUM, AMICTUS SINDONE SUPER NUDO, ET TENERUNT EUM. — Id est amictus linea vel lineæ veste super nudo corpore : fuisse enim sindonem genus vestis lineæ corpori aptata; sed ita ut facile dorso injici et eximi posset instar tunicæ, patet ex voce « amictus, » et ex Polluce, qui sindonem vocat *ἠμικτῶνα*, id est operimentum, amiculum, stragulum, velamen, pallium, operculum.

Quæres, quis fuit hic adolescens? S. Epiphanius primo, hæresi 78, et S. Hieronymus (vel quisquis est auctor) in *Psalm.* xxxvii, putant fuisse Jacobum, fratrem Domini.

Secundo, Beda et Glossa hic, et S. Chrysostomus, in *Psalm.* xlii, et S. Ambrosius in *Psalm.* xxxvi, et S. Gregorius, lib. XIV *Moral.*, cap. xxiii, ac Baronius opinantur fuisse S. Joannem : hic enim inter Apostolos erat adolescens et natu rainimus. Verum non fuisse Joannem, nec Jacobum, nec aliquem ex Apostolis liquet ex eo quod immediate præmisit Marcus, vers. 30, dicens : « Tunc discipuli (Apostoli) ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. »

Tertio, Theophylactus, Euthymius et Victor censent adolescentem hunc fuisse aliquem e domo Joannis Marci, in qua Christus comederat pascha.

Quarto, verisimilium Cajetanus, in *Jentaculis*, et alii conjecant adolescentem hunc fuisse filium vel servum ville, horto, in quo orans captus est Christus, adjacentis, qui rumore et strepitu transcurrentium satellitum Christum capientium excitatus, e lecto surgens accurrit, ut videret quid ageretur. Fuisse Christi fautorem vel discipulum, liquet ex eo quod ait Marcus : « Sequebatur eum : » unde et satellites « tenuerunt eum, » id est apprehensa veste tenere voluerunt. Verba enim Hebræorum activa sæpe inchoationem et

conatum significant, non actum perfectum. Nam sequitur :

32. AT ILLE, RELICTA SINDONE, NUDUS PROFUGIT Ven. M. AD EIS. — Sicut Joseph, ait Scholiastes apud S. Hieronymum, « relicto pallio, nudus de manibus impudicæ dominæ effugit, » *Genes.* xxxix, 12.

Addit hoc Marcus, ut ex præpropæta et violenta fuga hujus adolescentis liquet quanta fuerit circa Christum trepidatio, et quam nemo ausus fuerit apud Christum consistere, quamque grave fuerit Judæorum actum in Christum et furor, qui etiam tentarint adolescentem hunc alienum, Christum sequentem, invadere. Unde liquet eos multo magis comprehensuros fuisse Apostolos, nisi ipsi illico aufugissent.

68. ET GALLUS CANTAVIT. — Audi S. Chrysostomum in *Matth.* xxvi, 70 : « Significat Marcus, quia nec voce quidem galli in memoriam adductus, nec se a negatione retinuit. » Addit Chrysostomus : « Hoc solus Marcus scripsit, ita exquisitè explicans et piam magistri ad discipulum curam et imbecillitatem Petri. Unde maxime ipsum admirari debemus, quia non solum magistri delictum non occultavit, sed exquisitius etiam quam ceteri, hoc ipso quia discipulus erat, conscripsit. »

70. NAM ET GALLEUS ES. — Id est, Galilæorum idiotismo loquens ostendit se esse Galileum. Unde Græca et Syrus addunt : et locutio tua congruat Galilæorum locutioni; Arabicus : et loquela tua similis est loquela eorum.

72. ET COEPIIT FLERE. — Græce, *ἠρξατο κλαίειν*, hoc est ad verbum, adiciens flebat; quod primo, veritas, « coepit flere; » secundo, « adjecti flere, » id est magna vehementia coepit flere, ait Theophylactus; Arabicus, et convertit se ad lacrymas, non in atrio coram Judæis, ne iis se proderet, sed ex eo egressus dum solus esset, ut patet *Matth.* cap. xxvi, vers. 78.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Christus a Pontificibus traditur Pilato, accusatur, Darabba posthabetur, flagellatur, spinis coronatur, illuditur. Secundo, vers. 21, in Golgotha crucifigitur inter duos latrones; vestes ejus sorte dividuntur; a prætereuntibus blasphematur, quin et a latronibus. Tertio, vers. 33, tenebræ totam terram operiunt, Jesus a Patre se derelictum queritur, ac clamans expirat; unde Centurio ait : Vere hic homo Filius Dei erat. Quarto, vers. 42, a Josepho sepelitur.

1. Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus, et Scribis, et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt et tradiderunt Pilato. 2. Et interrogavit eum Pilatus : Tu es Rex Judæorum? At ille respondens, ait illi : Tu dicis. 3. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. 4. Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens : Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. 5. Jesus autem amplius nihil re-

pondit, ut ita miraretur Pilatus. 6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinculis, quemcumque petissent. 7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinculus, qui in seditione fecerat homicidium. 8. Et cum ascendisset turba, coepit regere, sicut semper faciebat illis. 9. Pilatus autem respondit eis, et dixit : Vultis dimittam vobis regem Judæorum? 10. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. 11. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabham dimitteret eis. 12. Pilatus autem iterum respondens, ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum? 13. At illi iterum clamaverunt : Crucifige eum. 14. Pilatus vero dicebat illis : Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant : Crucifige eum. 15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabham, et tradidit Jesum flagellis caesum, ut crucifigeretur. 16. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, et convocant totam cohortem, 17. et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam. 18. Et coeperunt salutare eum : Ave rex Judæorum. 19. Et percutiebant caput ejus arundine, et conspuant eum, et ponentes genua, adorabant eum. 20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis; et educunt illum ut crucifigerent eum. 21. Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus. 22. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvaria locus. 23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, et non accepit. 24. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. 25. Erat autem hora tertia; et crucifixerunt eum. 26. Et erat titulus causæ ejus inscriptus : REX JUDÆORUM. 27. Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris, et alium a sinistris ejus. 28. Et impleta est Scriptura, quæ dicit : Et cum iniquus reputatus es. 29. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah! qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reedificas, 30. salvum fac temetipsum descendens de cruce. 31. Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. 32. Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei. 33. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam. 34. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens : Eloi, eloi, lamma sabaothani? quod est interpretatum : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? 35. Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant : Ecce Eliam vocat. 36. Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. 37. Jesus autem emissa voce magna expiravit. 38. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. 39. Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat. 40. Erant autem mulieres de longe aspicientes : inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi Minoris et Joseph mater, et Salome : 41. et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, et ministrabant ei; et aliarum multarum, quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam. 42. Et cum jam læto esset factum (quia erat Parasceve, quod est ante sabbatum), 43. venit Joseph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petit corpus Jesu. 44. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. ²⁸ Accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. 45. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. 46. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti. 47. Maria autem Magdalene, et Maria Joseph, aspicebant ubi poneretur.

25. ERAT AUTEM HORA TERTIA; ET CRUCIFIXERINT EUM. — «Tertia, » non inchoans, sed finiens, ac desinens in sextam. Sexta enim hora crucifixum esse Christum, puta in meridie, patet ex vers. 33. Aliqui suspicantur esse mendum, et pro tertia ponendum esse sextam. Hebraei enim diem æque ac noctem in quatuor partes, sive horas, diviserant; scilicet primam, tertiam, sextam et nonam, quarum qualibet ternas nostrates horas complectebatur. Prima enim incipiebat ab ortu solis, durabatque tres horas, quibus finitis incipiebat tertia, ac totidem horis durabat, scilicet usque ad meridiem, quando inchoabat sexta et finiebatur tribus post meridiem horis, cum incipiebat nona, durabatque usque ad vesperam: incipiente ergo hora sexta crucifixus est Christus, inchoante vero nona mortuus.

Hac de re plura dicam Joan. cap. xix, vers. 14. 28. Et cum iniquis reputatus est. — Hebraice נִמְנָא nimna. id est numeratus, recensitus est. Vide dicta Isaia lxi, 12. Causa fuit, quia Christus nostrum locum, numerum et censum in se recepit; nos autem eramus iniqui: ipse ergo cum iniquis accensus est, ut nos ex iniquis faceret æquos, justos et sanctos.

QUIA ERAT PARASCEVE, QUOD EST ANTE SABBATUM. — Græce, quod est prosabbatum. «Parasceve» idem est quod preparatio: unde sic vocatur feria sexta, quia in ea præparabantur cibi et necessaria pro sabbato, quo operari non licebat; hinc vocatur ipsa «prosabbatum, » sive pridie sabbati, aut vigilia sabbati. Antesabbatum ergo unica est dictio respondens Græco προσάββατον.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus primo apparet Magdalene cæterisque piis feminis. Secundo, vers. 12, duobus discipulis euntibus in Emmaus. Tertio, vers. 14, undecim Apostolis, quos mittit per totum orbem evangelizatum, additque signa et miracula credentibus concedenda. Denique, vers. 19, in caelum ascendens sevet ad dexteram Dei.

1. Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum. 2. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole. 3. Et dicebant ad invicem: Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti? 4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. 5. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. 6. Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum queritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. 7. Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. 8. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor et pavor; et nemini quidquam dixerunt, timebant enim. 9. Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septem dæmonia. 10. Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus. 11. Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt. 12. Post hæc autem duobus ex his ambulantiibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam; 13. et illi euntes nuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt. 14. Novissima recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. 15. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. 17. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eicient; linguis loquentur novis; 18. serpentes tollent, et si mactiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt. 19. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei. 20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

1. Et cum transisset sabbatum. — Puta inchoante nocte diei Dominice. «Post tristia sabbata felix irradiat dies, » ait Scholiastes apud S. Hieronymum.

MARIA JACOBI, — scilicet Minoris et Judæ mæter, ut habet Arabicus, uxorque Cleophæ.

ET SALOME, — uxor Zebedæi, mater Jacobi Majoris et Joannis Apostolorum.

UT VENIENTES UNGERENT JESUM, — secundum consuetudinem Judæorum, ait Theophylactus, et odoriferum maneret corpus, et conservaretur: aromata enim desiccant; non sapiebant enim dignitatem divinitatis Christi, nec resurrectionis ejusdem, sed amabant tenerrime Jesum, ut hominem et prophetam, licet jam mortuum.

Tropologie: unguent Jesum, qui ejus amore exerceat opera pietatis, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, ac præsertim misericordiæ et charitatis erga proximos, qui sunt membra Jesu mystica: quare hi merentur primi videre Jesum resurgentem, ut scilicet in ejus cognitione, gratia, meritis et gloria novo fervore quasi resurgendo roborentur, proficiant et perficiantur. Ita S. Gregorius et alii. Vide dicta Matth. xxvi, 7.

2. UNA SABBATORUM, — id est prima sabbati, ut explicat vers. 9, puta die Dominica. Vide dicta Matth. xviii, 1.

CRUCIFIXUM: SURREXIT, NON EST HIC. — «Non crubescit angelus crucem, ait Theophylactus, in hac enim salus hominum. » Addit Interlinearis: «Radix amara crucis evanuit, flos vite cum fructibus, qui jacuit in morte, surrexit in gloria. »

7. ITE, DICITE DISCIPULIS. — «Mulieribus, ait Interlinearis, dicitur ut nuntient Apostolis, quia per mulierem (Evam) mors nuntiata est, per mulierem vita resurgens. »

ET PETRO. — «Ut quem femina fecerat negare, femina faceret confiteri, » ait Druthmarus. Addit Scholiastes apud S. Hieronymum, Petrum præ cæteris nominari, «qui se indignum judicavit discipulatu, quod ter Dominum negasset magistrum; sed peccata præterita non nocent, quando non placent. » Et S. Gregorius, hom. 21 in Evang. : «Si angelus Petrum non nominasset, venire inter discipulos non auderet; vocatur ergo ex nomine, ne desperet ex negatione. » Cætera exposui Matth. xviii, 1 et seq.

8. INVASERAT ENIM EAS TREMOR (CORPORIS), ET FAVOR (ANIMI). — Græce, βέβαιος, id est stupor, ait Theophylactus, «in spectaculo angeli, et in horrore resurrectionis. » Vere hic stupor mixtus erat ingenti gaudio: stupebant enim et gaudebant se tam mira et jucunda audire, scilicet Jesum dilectum suum a morte resurrexisse, id patet ex Matth. cap. xxviii, vers. 8.

TIMEBANT ENIM, — non solum ob visionem angelorum, sed etiam «propter Judæos, ait Euthymius, ne conspectæ viderentur ipsæ furari Je-

sus; ne ipsas occiderent, audito quod Christi predicarent resurrectionem, » ut paulo post Magdalenam, Martham et Lazarum cum sociis navi sine velo et remis imposuerunt, ad certum omnium exitum, nisi Deus eos salvos Massilianum perduxisset.

9. PRIMA SABBATI. — Id est prima die post sabbatum, puta Dominica.

MAGDALENE, DE QUA EIECERAT SEPTEM DÆMONIA. — Luc. viii, 2. Addit hoc Marcus, ut ostendat vim penitentiae et amoris, per quem Magdalena peccatrix ita exarsit, ut prima meruerit videre Christum resurgentem; ut ex ea discant peccatores non desperare, sed vehementer amare: sio enim Sanctos innocentes in gratia et gloria superabunt; ita Beda: «Quia ubi superabundavit peccatum, superabundavit et gratia, » Rom. v. Addit Beda: «Mulier (Eva) culpe inductrix: quæ primo mortem gustavit, primo resurrectionem vidit (in Magdalena) ne perpetui reatus apud viros opprobrium suslineret. » Porro, «septem dæmonia» sunt septem villa capitalia septem virtutibus primariis contraria, quibus præsidet dæmones. Ita S. Gregorius, Theophylactus et alii. Hanc Christi apparitionem Magdalene factam fuisse enarrat Joannes, cap. xx, vers. 11. Vide dicta Luc. cap. viii, vers. 2.

12. POSTHÆC AUTEM DUOBUS EX HIS (DISCIPULIS) AMBULANTIBUS OSTENSUS EST IN ALIA EFFIGIE (ARABICUS, VESTO, SCILICET PÈREGRINI), EUNTIBUS IN VILLAM. — Arabicus, in castellum; Græce, in agrum, id est in domum ruri sitam in Emmaus; nam, ut ait S. Augustinus, De Consensu Evangel. : «Agri nomine non castella tantum, verum etiam municipia et colonie solent vocari extra civitatem, quæ caput et quasi mater est cæterarum. » Hi ergo discipuli ex urbe Hierosolyma ibant rus, puta in pagum vicinum Emmaus, qui postea a Romanis in monumentum victoriae de subacta Hierosolyma, factus est civitas insignis, dicta Nicopolis. Ita Adrichomius et alii. Hæc Christi apparitio est eadem cum illa quam narrat Lucas, xxv, 13, ut patet ex circumstantiis, quæ utrobique sunt eadem. Ita communiter Interpretes. Solus fere Euthymius putat esse diversam ab illa Lucæ, eo quod Marcus subdat Apostolos eis nuntiantibus Christum resurrexisse, non credidisse, cum Lucas contrarium, scilicet credidisse insinuet. Verum facilis est responsio, aliquos credidisse, alios non credidisse; vel, ut Theophylactus, Apostolos credidisse, sed alios discipulos non credidisse.

13. NEC ILLIS CREDIDERUNT. — Dei permissione et providentia id factum. hæc enim eorum incredulitas, «non tam earum infirmitas, quam nostra futura firmitas fuit, ait Gregorius, homil. 29 in Evang. Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est: quæ dum nos legentes agnosimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamus?»

14. NOVISSIME RECUMBENTIBUS (ad mensam) ILLIS UNDECIM APPARUIT. — «Novissime» Greco, *νεωτερον*, id est postea, deinde, postremo: fuit enim hæc ultima Christi apparitio facta ipso die Paschalis, sive resurrectionis, cum vespere apparuit undecim Apostolis; hæc enim solas illo die factas commemorat hic Marcus, reliquis vero posterius factas omittit. Dices: Tunc non apparuit undecim Apostolis, sed decem tantum; aberat enim Thomas. Quocirca Maldonatus hanc apparitionem enses esse illam quæ octavo post die facta est, vocari, licet absens esset Thomas, qui erat undecimus, quia collegium Apostolorum, erat Judæ provisionem et suspensum, redactum ad undecim; quare «undecim» vocantur, licet unus Thomas desit. Sic decemviri dicuntur congregati, etiamsi unus vel alter absit. Simile est in Luca, cap. xxiv, 33. Ita Beda et S. Augustinus, lib. III de *Consensu Evangelii*, cap. xxv.

RECUMBENTIBUS. — Hinc colligit S. Bernardus, serm. De *Ascensione Domini*, observans: «Multam, inquit, fiduciam præstat quod libentius adsit orationi incumbentibus, quando ne recumbentibus quidem designatur adesse.»

NON CREDIDERUNT. — S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelagium*, scribit post hæc verba, in quibusdam Grecis codicibus ista addi: «Et illi satisfaciebant dicentes: Sæculum istud iniquitatis substantia est, quæ non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem: ideoque jam nunc revela justitiam tuam.»

Verum Ecclesia hæc omnia resocuit: olent enim heresim Manichei aut Montani.

EXPROBRAVIT INCREDULITATEM. — Syrus, *exiguam fidem*; Arabicus, *exprobrauit eos propter parvitatem fidei eorum*.

15. ET DIXIT EIS: EUNTES IN MUNDUM UNIVERSUM, PREDICATE EVANGELIUM OMNI CREATURE. — «Et dixit,» non ipso die Paschalis, cum recumbentibus undecim apparuit, sed postea cum in monte Galilee se illi aliisque videndum exhibuit, ut habet Mattheus, cap. xxviii, vers. 16 et seq. Vel certe hoc maxime evangelizandi munus propriumque Apostolis, eis sæpius Christus injunxit, ut ipso die Paschalis illud eis primo innumeravit, ut innuit Lucas, xxiv, 47; deinde in monte Galilee iteravit, ac ultimo die ascendens in caelum confirmavit.

IN MUNDUM UNIVERSUM. — *g. d.* Non in sola Judæa, uti hactenus fecistis, et uti olim vobis jussi *Matth.* x, 5, sed passim per totum mundum evangelizate. Nam non videtur verisimile, quod pauci Apostoli per se totum orbem lustrarint et converterint, præsertim quia in America nuper inventa, nulla fidei Christianæ repecta sunt vestigia.

OMNI CREATURE. — id est omnibus gentibus, ut habet Mattheus, xxviii, 19. Est synecdoche: nam genus appropriatur nobilissime speciei, puta

creatura homini. Homo enim est nobilissima creatura, ad ipsius Dei creatoris imaginem crea-

16. QUI CREDIDERIT, ET BAPTIZATUS FUERIT, SALVUS ERIT; QUI VERO NON CREDIDERIT, CONVENIANTUR. — Hæc Christi sententia ad suam hæresim abutuntur, primo, Lutherani, ut probent fidem solam sufficere ad salutem, nec requiri bona opera. Verum respondeo: Sensus Christi est, ut recte annotarunt Euthymius, Theophylactus et alii: «Qui crediderit,» etc. *g. d.* Qui credendo in Christum ejusque baptismum suscipiendo, a peccatis ablutus et gratia Dei imbutus, sanctificatus fuerit, hic salvus erit; subaudi: si ita moriatur, si in isto statu gratiæ et sanctitatis decedat, si gratiam Dei usque ad mortem retineat, nec per peccatum aliquod deperdat. Retinere autem gratiam hanc baptizatus nequit, si bona opera non faciat quæ lex Christi præcipit. Adde, nomine credulitatis, sive fidei et baptismi, velut principiorum maxime necessariorum, et quæ initio Ecclesie maxime Gentilibus inculcari debebant, subintelligi reliqua omnia inde consequentia, ac in eis velut in radice latentia, uti sunt spes, charitas, bona opera, etc., uti fuse ostendi promio in S. Paulum. Vid. S. Augustinum, lib. De *Fide et Operibus*.

Secundo, Anabaptistæ ex hæc Christi gnome inferunt non esse baptizandos parvulos, eo quod credere nequeant. Sed respondeo Christum loqui de adultis: hi enim soli credere possunt; et adultos solos omnia præcedentia Christi verba denotant. Parvulos enim esse baptizandos liquet ex perpetua traditione et praxi Ecclesie, ac ex illo *Joan.* iii, 5: «Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.»

Addit S. Augustinus, idque variis locis iterat, hæc verba Christi ad parvulos quoque sicut modo pertinere, eo quod illi sicut aliena voluntate Adæ peccaverunt et peccatum originale contraxerunt, sic pariter aliena fide Ecclesie et parentum vel offerentium credant.

Tertio, Calvinistæ ex hisce Christi verbis colligunt baptismum non esse ad salutem necessarium, sed sufficere solam fidem, quia de ea sola, inquit, Christus subjicit: «Qui vero non crediderit, condemnabitur.» Respondeo, sub *«crediderit,»* id est sub fide, intelligi baptismum, qui est sacramentum fidei, et cætera omnia quæ ex fide nascuntur et sequuntur, uti paulo ante dixi. Marcus enim brevitati studens, ex his quæ immediate ante dixerat, lectori relinquit subintelligendum: «aut non fuerit baptizatus:» alioqui enim non constat antithesis, estque mutila et imperfecta; ut enim perfecta sit, sic dicendum: «Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, aut non fuerit baptizatus, condemnabitur.» Nam baptismum requiri ad salutem, patet ex verbis Christi, *Joan.* iii, 5, jam citatis.

18. SERPENTES TOLLENT — ex locis que illi infestabant, et, ut ait Euthymius, «delebunt, occident, aut etiam in manibus absque periculo tenebunt,» uti Paulus tenuit viperam, *Act.* xxviii, 3 et seq. Unde Arabicus vertit, *tollent manibus suis serpentes*.

ET SI MORTIFERUM QUID BIBEINT, NON EIS NOCEBIT, — ut bibant venenum illiesi, uti Apostoli et Sancti plures fecerunt.

SUPER ÆGROS MANUS IMONENT, ET BENE HABEBUNT. — Nota hæc signa fuisse necessaria in primitiva Ecclesia, ad probandam et firmandam Christi fidem; unde tunc omnes fere Christiani faciebant miracula, saltem aliqua, v. g. ut demones ab energumenis depellerent, ut patet ex *Justino, Dialog. contra Tryphonem*; Tertulliano, in *Apolog.*; Lactantio et aliis: plerique etiam in Baptismo tunc accipiebant donum linguarum, ut patet *Act.* x, 46, et xix, 6.

Jystice: S. Bernardus, serm. 1 *De Ascensu*: Primum, inquit, opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio est, in qua sine dubio ejiciuntur demonia, cum eradicantur et corde peccata. Exinde qui in Christum credunt, linguis loquuntur novis, cum jam recedunt vetera de ere eorum, nec de cætero vetusta protoparentum lingua loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis; ubi vero compunctio cordis et oris confessione priora sunt deleta peccata, ne recidivum patiantur, et jam sint posteriora pejora prioribus, serpentes tollant necesse est, id est ut ve-

nenatas suggestiones extinguant, etc. «Si mortiferum quid biberint, non eis nocet,» id est cum senserint stimulos concupiscentiæ, nolent consentire. «Super ægros manus imponent, et bene habebunt,» id est ægros affectione bonis operibus «operient, et hoc remedio curabunt.»

Paulo aliter S. Gregorius, homil. 29 in *Evangelio*: «Fideles quique, ait, qui jam vite veteris sæcularia verba derelinquant, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudes et potentiam quantum prævalent, narrant, quid aliud faciunt, nisi novis linguis loquuntur? qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt, et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocet. Quoties proximis suos in bono opere infirmos conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt, et exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubant; quid aliud faciunt, nisi super ægros manus imponent, ut bene habeant? Que nimirum miracula tanto majora sunt, quanto spiritalia: tanto majora sunt, quanto per hæc non corpora, sed anime suscitantur.»

19. ASSUMPTUS EST IN CÆLUM, — a sua divinitate mediante dote agilitatis, ab ea corpori indita, quadragesima die a resurrectione, puta in festo Ascensionis. De Ascensione Christi fuse egi, *Act.* cap. 1, vers. 9.

SEDET A DEXTRIS DEI. — Qua ratione sedeat, multis explicui, *Coloss.* cap. iii, vers. 1.

O regnum beatitudinis sempiternæ, ubi juvenis nunquam senescit, ubi decur nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi vita terminum nescit! (S. Augustinus, in *Soliloq.*, cap. xxxv.)